



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117824**

§. 36. Concilium Constantinopolitanum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

§. XXXVI.

Sæculum VI.  
A. C. 518.

*Concilium Constantinopolitanum.*

Joannes Patriarcha, ut ea, quæ Populus inter tumultus extorserat, authentice confirmaret, quadraginta Episcopos, tunc Constantinopoli versantes, ad Synodum convocavit. Abbates ejusdem Civitatis Patribus obtulerunt Libellum, in quo eadem postulabant. Huic Libello subscripserant quinquaginta quatuor Abbates, omnes Presbyteri, excepto solo Euthio Acemetensium Superiore, qui Diaconus erat. Primus est Alexander omnium Monasteriorum Exarchus, & verisimiliter Abbas ad S. Dalmatium. Secundus est Constans Abbas Diensis, qui sua manu non nisi Crucem efformavit, ipso jubente Nomen ipsius & Subscriptionem apposuit Stratonicus, qui in illo Monasterio secundum gradum tenebat. Diogenes Abbas Monasterii ad S. Thalassium, quod a Discalceatis dicebatur, gravi Senectute impeditus eodem modo Signum Crucis apposuit.

To. 5. Conc.  
p. 170.

Patres igitur congregati Roma ejusdem Mensis Julii anno 518. Indictione undecima, Magno Consule, causam in hoc Libello contentam discutiendam susceperunt. In articulo primo petebatur, ut Euphemius & Macedonius Diptychis restituerentur. Judicio, in quo damnati fuerant,

p. 163.



Sæculum VI. fuerant, ad Examen revocato, ex lectio-  
A. C. 518 ne Actorum apparuit fuisse illegitimum,  
 eosque non ideo fuisse ejectos, quod ali-  
 quid in Fidem peccassent. Itaque ju-  
 stam totius Populi, Monachorumque  
 postulationem existimantes, ut æquitati  
 satisfacerent, Memoriam istorum duo-  
 rum Patriarcharum in Sacris Tabulis re-  
 stitui jusserunt, sicut olim etiam Memo-  
 ria S. Pauli, Constantini tempore rele-  
 gati, S. Joannis Chrysoctomi, & S. Flavia-  
 ni fuisset restituta. Vi hujus Senten-  
 tiæ decretum, ut illi, qui in Causa Eu-  
 phemii & Macedonii proscripti, aut eje-  
 cti fuissent, revocarentur, & in suas Dig-  
 nitates postliminio redirent.

Id quoque Concilii Patribus consen-  
 taneum Rationi & Ecclesiæ Paci utile vi-  
 sum, ut quatuor Concilia universalis &  
 S. Leonis Papæ Nomen Diptychis infere-  
 rentur, quia Concilium Calcedonense  
 æque S. Leonis, ac S. Cyrilli, cujus No-  
 men in Diptychis recitabatur, Fidem ap-  
 probaverat. In Causa Severi Anti-Pa-  
 triarchæ Antiocheni Concilium jussit  
 prælegi ipsius Sermones, in quibus inter  
 alia occurrebant hæc verba: *Illud, quod*  
*Calcedone a Concilio tunc ibi congregato,*  
*& ab iis, qui Concilium istud defende-*  
*runt, definitum est, anathematizamus.*  
 His Severi verbis recitatis, eum Conci-  
 lium Constantinopolitanum Anathemate  
 æterno



æterno dignum, omni munere Sacerdotii, Nomine Christiani, & Communione privatum pronunciavit, quod Sancta Concilia blasphemasset, & calumniatus esset. His in Concilio Constantinopolitano super Libello Monachorum statutis, data est Epistola Synodalis ad Joannem Patriarcham, qui non interfuerant, ut quæ acta essent, Imperatori, Imperatrici & Senatui referret. Epistolæ huic subscripserunt Episcopi quadraginta, quorum præcipui sunt Theophilus Heracleensis, Stephanus Nicomediensis, Basiliscus Cyzicenus, Anastasius Nicenus, Marcianus Calcedonensis, Theodorus Gangrensis, Hypacius Claudiopolitanus, & Cyriacus Thyaneus.

Sæculum VI.  
A.C. 518.

to. 5. Conc.  
p. 162.

§. XXXVII.

*Pax Jerosolymæ acceptatur.*

Joannes Patriarcha Constantinopolitanus datis ad Joannem Patriarcham Jerosolymitanum omnesque Metropolitans tunc ibi congregatos litteris, optima nuncia communicavit, scilicet Populi Constantinopolitani acclamationes, Monachorum Libellum, & Decretum Concilii, cujus Acta ipsis diligenter transmissit rogans, ut ea confirmarent. Joannes Constantinopolitanus etiam ad Epiphanium Episcopum Tyriensem dedit Epistolas, & adjuncta Imperatoris Justinii Man-

*ibid.*

X 3 data,